V

In Nomine Trinitatis

DE SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ

DISPUTATIO THEOLOGICA Quarta.

Quæ eſt

DE SENSU LITTERALI ET MYSTICO.

Quam

In Illuſtri Univerſitate Jenenſi

PRÆSIDE

V I R O

Plurimùm Reverendo, Amplisſimo, & Excellentisſimo,

DN. CHRISTIANO CHEMNITIO, SS. Theologiæ Doctore, Profeſſore Publico, ùt & Eccleſiæ & Diœceſeos ibidem Paſtore & Superintendente; Patrono & Præceptore ſuo ætatem colendo & honorando,

Publicè Reſpondendo tueri conabitur

M. GREGORIUS STRIGENITIUS, SCHMIDEHUSANUS THURINGUS.

Ad D. XIII. Decemb.

In Auditorio Theologico.

JENÆ,

Charactere GEORGII SENGENWALDI.

ANNO M LC LIV.

In Nomine SS. Trinitatis.

DE SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ, *DISPUTATIO THEOLOGICA QUARTA:* Quæ eſt DE SENSU LITERALI ET MYSTICO.

THESIS I.

DEmonſtratum eſt hactenus, in *Diſputationibus tribus* cum DEO, *Unde Sacræ Scripturæ SENSUS quoad nos, vel in ordine ad noſtram cognitionem, & quidem FIDE DIVINA credendus, dependeat?* Videlicet non à SENSU ECCLESIÆ: nec ab UNANIMI CONSENSU PATRUM. Sed ab ipsâ Scripturâ Sacrâ, ejusq; inſitâ *θεοπνευστία*: ſeu à SPIRITU SANCTO per Scripturam ad nos loquente, ejusq; inſeparabiliter Sacræ Scripturæ adhærente, infallibili, & interno teſtimonio atq; efficaciâ. Nec obſtupuimus ad pronunciatum *Bellarmini, qui lib. 1. de Juſtificatione cap. 12. §. ult. Concilii Tridentini DECISIONEM*, ſcripſit *VOCEM CATHOLICÆ ECCLESIÆ eſſe:* aut morati ſumus, quòd in Colloquio Ratisbonenſi p. 309. ad B. noſtrum *Hunnium*, D. *HUNGERUS* dixit: *Ratio CREDENDI noſtra eſt hæc: DEUS mihi loquitur per ECCLESIAM. Domini autem videntur habere alia principia!* Agendum itaq; nunc erit de *SENSU SACRÆ* Scripturæ *LITERALI* & *MYSTICO.*

II. Præſupponimus autem hic *ADJUNCTUM* illud Sacræ Scripturæ, quod *PERSPICUITATEM* appellare ſolemus, tanquam alibi ſufficientisſimè à noſtratibus probatum. Et eſt mens noſtra & Fides eadem, quam *Part. II. Confeſſ. Cathol. art. I. cap. III. p. 209.* poſt ſe reliquit deſideratiſſimus noſter Præceptor, *B. GERHARDUS: Articuli fidei*, inquiens, *ad ſalutem omnibus ſcitu neceſſarii, & præcepta morum, perſpicuè in Scripturâ Sacrâ exponuntur.* Addimus quoq; ex ejusdem ἐκθέσει ibidem ſubjunctâ I. non eſſe quæſtionem, *an quædam in Scripturâ Sacrâ ſint obſcuriùs dicta*: ſed *an dogmata fidei & morum perſpicuè in eâ ſint propoſita?* II. neceſſe quæſtionem, *an omnia Scripturæ loca in quibus de fideì dogmatibus, & præceptis morum tractetur, ſint perſpicua*: ſed *an omnes fidei articuli, & omnia vitæ præcepta in propriis, claris, & perſpicuis verbis & locis Sacræ Scripturæ contineantur?* III. Nec excludimus aſſertione *Perſpicuitatis Sacræ Scripturæ pium & quotidianum ſtudium* Scripturæ lectioni & meditationi impendendum: nec alia adminicula ad exponendas eas neceſſaria. IV. Admittimus quoq;, *alia loca in Sacrâ Scripturâ aliis eſſe clariora*, quodq; ea, quæ alicubi obſcuriùs proponantur, in aliis locis explicentur manifeſtiùs, ſecundùm *Auguſt. lib. II. de D. C. c. VI.* V. Urgemus quoq; *pias PRECES*, ut DEUS propter connatas noſtras tenebras, interiorem Spiritûs Sancti Illuminationem nobis clementer, ùt ſemper per verbum & cum verbo vult facere, concedere & nos per id, ut ei piè nos ſubmittamus, nec obicem Spiritui Sancto ponamus, regere dignetur. VI. Aſſerimus quoq;, Sacram Scripturam eſſe claram & perſpicuam, non *quibusvis*, ſed *illis*, quibus vel ab *ætate*, vel ab *ignorantiâ Linguæ Authenticæ*, vel à *præconceptâ opinione* nullum objiciatur impedimentum. VII. Concedimus quoq;, quòd *RES CREDENDÆ*, ſive ipſa myſteria; in ſe ſint *inevidentes & obſcuræ*, & captum humanum ſuperent: Interim VERBA & DICTA

SCRI-

SCRIPTURÆ tàm evidentia, clara & perſpicua ſunt, ut ex ipſis Scripturis certò cònſtet, quid ſit de iis fide tenendum. Habet enim VERBUM DEI, tanquam MEDIUM noſtræ ſalutis, duplicem EFFECTUM & FINEM reſpectu noſtri: *Alter* eſt; ut *Intellectum* noſtrum in rei ſignificatæ *perceptionem* & *apprehenſionem* deducat. Et ad hunc effectum obtinendum divinitùs data eſt Sacræ Scripturæ ſua PERSPICUITAS: ſecundùm quam omnia CREDENDA & FACIENDA nobis clarè & evidenter in EA exponuntur. *Alter* eſt: Ut *Intellectum* noſtrum *moveat efficaciter* & determinet àd ASSENSUM. Et ad hunc effectum obtinendum SACRÆ SCRIPTURÆ inſeparabiliter adhæret & inſita eſt EFFICACIA ſive OPERATIO SPIRITUS SANCTI, quæ Intellectùm ad ASSENSUM & FIDEM DIVINAM determinat. Nam ſicut in rebus naturalibus & evidentibus, aliàs hæc *determinatio* Intellectûs ad aſſenſum, fit ab *Objecto* evidenter cognito: ita in REBUS & MYSTERIIS fidei, ubi evidentia, & clara cognitio rerum, quæ captum humanum ſuperant, deeſt: illa *determinatio* ad aſſenſum, pendet à *ſupernaturali*, VERBO DEI inſeparabiliter conjunctâ EFFICACIA & OPERATIONE SPIRITUS SANCTI. Atq; indè etiam eſt, quòd nullius HOMINIS AUCTORITAS, effectum hunc in intellectu Auditoris poſſit producere; quoniam à ſolâ OPERATIONE SPIRITUS SANCTI ſive EFFICACIA, VERBO DEI conjunctâ dependet. Ut non poſſit non eſſe falſum, quod *Piſtorius* in *Hodeget. c. 3.* ſcripſit: *Eccleſia infert Scripturæ lucem, ſine quâ tota eſt obſcura & tenebricoſa.* Et quod *Caniſius* in opere Catechetico, p. 44. ſcripſit: *Sacra Scriptura in illis, quæ continet & proponit, eſt velut naſus cereus, non præbens certam aliquam & immotam ſcientiam, ſed quæ in quamvis Interpretationem flecti poteſt.* Videlicet, ùt egregiè *Eugenius* in Epiſtolâ ad *Egbertum* Bambergenſem, Scripturam inflexit & ſcripſit: *Sanctos in Divorum numerum eſſe adſcribendos & Canonizandos, ut adorentur;*

 quo-

quoniam ſcriptum ſit, Matth. 5. *Non debet abſcondi lucerna ſub modio, ſed poni ſuper candelabro.* Vide *Gerhard. Tom. I. C. C. p. 317.* Atq; hæc ita partim ut *præſuppoſita*, partim ut certò *aſſirmata*, propter rerum adducendarum faciendum compendium, hîc præmittimus.

III. Quod itaq; *SENSUS SCRIPTURÆ DIVISIONEM* concernit: notiſſima eſt *DIVISIO*, quâ dividitur in *SENSUM LITERALEM* & *MYSTICUM* ſive *SPIRITUALEM*. Proponit & explicat hanc *DIVISIONEM Bellarminus* Lib. III. de verbo D E I cap. III. §. *Ut igitur.* Ut & *Becanus* in Manual. Lib. I. cap. I. Quæſt. III. *Solet diſtingvi*, inquiens, *duplex Scripturæ Senſus. Alter Literalis ſeu Hiſtoricus: alter Spiritualis ſeu Myſticus.* Et ſubjicit §. 2. *Utrumq; SENSUM inſinuat Apoſtolus, 1. Cor. 10. v. 1. cùm ait: Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt; & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari: & omnes eâdem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Nam in his & ſequentibus verbis*, pergit, *latet duplex SENSUS, Unus LITERALIS, qui proximè, immediatè ſignificatur per verba citata: nempe Filios Iſraël, quando ex Ægypto egreſſi ſunt, tranſiviſſe mare rubrum, ambulaſſe ſub nube, comediſſe Manna in deſerto, bibiſſe aquam de Petrâ. Alter MYSTICUS, qui non ſignificatur proximè per verba citata, ſed per res ſignificatas verbis citatis. Nam per exitum filiorum Iſraël ex Ægypto per Moyſen, ſignificatur exitus noſter ex ſervitute peccati per CHRISTUM: Et per mare rubrum ſignificatur Baptiſmus: Per Manna corpus CHRISTI in Euchariſtia: per aquam, ſanguis CHRISTI: per Petram CHRISTUS.* Hæc ibi *Becanus.* Deſumta tamen ea ſunt ex *Bellarmino l. cit.* qui eundem locum in confirmationem hujus *Diviſionis* ſive *Diſtinctionis* adducit, & addit: *Quos etiam duos SENSUS ſignificatos eſſe per librum ſcriptum intus & foris; de quo agitur Apocal. 5. & Ezech. 2. docet Hieronymus in caput 2. Ezechielis:* Adducit quoq; *Philonem* in libro de vitâ

Theo-

Theoricâ ſupplicum, & *Nazianzenum* ad Nemeſium, qui SENSUM LITERALEM comparent *corpori*, SPIRITUALEM *animæ*. Et ſubjicit: *Sicut Verbum DEI genitum, habet Naturam divinam inviſibilem, & humanam viſibilem: ita Verbum DEI ſcriptum habet SENSUM externum & internum.*

IV. Eandem DIVISIONEM ſeu DISTINCTIONEM *Senſûs Scripturæ* cum noſtratibus admittit & pluribus explicat quoq; Dn. D. GLASSIUS, *Amicus & Frater noſter in Chriſto dilectus*, Lib. II. Philol. Sacræ part. 1. tract. 1. ſect. 1. & ſeqq. in Theſi generali dicens: *Scripturæ Sacro-Sanctæ SENSUS duplex eſt: Literalis, & Spiritualis ſeu Myſticus.* Inter *Calvinianos* autem pleriq; unum tantùm *ſimplicem* & *uniformem* ſenſum agnoſcunt, qui literalis eſt: myſticum autem ad illius SENSUS *accommodationem* referunt. Notatu verò digniſſimum eſt, quod *VIR de CHRISTI Eccleſiâ merentiſſimus* ibi addit: Videlicet: *Non eſſe hoc ita accipiendum, ac ſi in omni omninò Scripturæ textu, & in ſingulis locis, duplex iſte agnoſcendus & amplexandus eſſet ſenſus, ùt quidã inter Pontificios opinentur, adducti loco Pauli, 1. Cor. 10. v. 2. Omnia in figuris contingebant illis, quos tamen ipſe Bellarminus lib. 3. de Verbo DEI c. 3. & Azorius lib. 8. Inſtit. moral. cap. 2. refutet. Sed de Scripturâ Sacrâ ſermonem eſſe in genere, quòd illa non quidem in omnibus, ſed tamen in aliquibus locis & textibus, quos ipſa Scriptura Sacra digito quaſi exſerto monſtrat, non LITERALITER modò ſit explicanda, ſed præter literalem ſenſum, qui ex verbis eruitur, MYSTICUM etiam admittat, hoc eſt, quòd ipſe Spiritus Sanctus myſterium aliquod & rem Spiritualem, in textu tali literaliter priùs intellecto & expoſito, intendat, eamq; eruendam eſſe commonſtrat.* Verba *Bellarmini* loco cit. ſunt: *Sed quanquam hæc ita ſe habeant: tamen non invenitur Spiritualis SENSUS in omni ſententiâ Scripturæ, nec in Teſtamento veteri nec in novo. Illud enim: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, non habet niſi unum SENSUM, id eſt literalem, ùt rectè docet Caſſianus, collat. 8. c. 3.*

V. LI-

V. Literalem ita definit l. cit. *Bellarminus : LITE-RALIS eſt, quem verba immediatè præ ſe ferunt.* Subdit tamen uberiorem explicationem in ſequentibus: *Porrò*, inquiens, *LITERALIS eſt duplex ; alius SIMPLEX, qui conſiſtit in proprietate verborum ; alius FIGURATUS, quo verba transferuntur à naturali ſignificatione ad alienam. Et hujus tot ſunt genera, quot ſunt genera figurarum.* Addit *exemplum :* Cùm Dominus Joh. 10. dicit: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili*, &c. Sensus Literalis eſt, ſed figuratus, alios homines, præter Judæos, congregandos in Eccleſiam, quod propriè dictum eſt, Joh 11. ut filios DEI, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Unde Definitionem ſuam ita informat l. cit. *Becanus : Literalis eſt, qui proximè ſeu immediatè ſignificatur per ipſa verba, ſive ſint verba propria ſive Metaphorica.* Haud aliter, ac etiam *Salmeron Prolegom. XIX. Tom. 1. fol. 340.* SENSUM LITERALEM dicit eſſe *eum, qui ſpectatur à Spiritu Sancto: & per voces, aut proprias, aut translatas immediatè exprimitur.* Aut ſicut *Thomas part. 1. q. 1. art. 10.* LITERALEM Senſum deſcribit, quòd ſit *is, quem Auctor intendit.* Et quidem *primùm*, ſive id fiat per *Verba* juxta *propriam*, & Grammaticæ cohœrentem ſignificationem, ſive per *tropos & translationes.* ùt exponit *Vatzquetz*, & conſentit *Johannes de Raguſio, de Communione ſub utraq; propoſ. 5.* Atq; ſecuti ſunt rectè hîc *Auguſtinum*, qui in utiliſſimis Libris de *Doctrinâ Chriſtianâ Tom. III. Lib. 3. cap. 24. pag. 20.* inquit: *Maximè itaq; inveſtigandum eſt, utrum propria ſit, an figurata locutio, quam intelligere conamur. Nam comperto, quòd figurata ſit, adhibitis regulis rerum, quas in primo libro digeſſimus, facile eſt eam verſare omnibus modis, donec perveniamus ad ſententiam veritatis, præſertim cùm uſus acceſſerit pietatis exercitatione roboratus. Invenimus autem utrum propria ſit, an figurata locutio, illa intuentes, quæ ſuprà dicta ſunt.* Videatur etiam caput X. Sic etiam *Dn. D. GLASSIUS loc. cit.* dicit: SENSUS LITERA-

LIS

LIS eſt is, *qui proximè & immediatè per ipſa verba, ſive ſint propria, ſive modificata ſignificatur*, ùt: *Jonas tribus diebus & tribus noctibus fuit in viſceribus piſcis, Jon. 2. v. 1.* Vocatur hic SENSUS Literalis, *1. Cor. 2. v. 16.* MENS CHRISTI. Item τὸ ῥητὸν: quamvis *hoc* aliquando ita accipiatur, ut opponatur *Figurato*, ſive *Tropico*. Anguſtior autem eſt DEFINITIO, & ſoli SIMPLICI Senſui Literali competens, quando SENSUS LITERALIS dicitur eſſe *is, qui ex verbis Scripturæ propriè & ſine ullo tropo intellectis elicitur*. Hoc modo enim *Grammaticus* & *Rhetoricus* SENSUS contradiſtinguerentur. Quod quidem apud Patres infrequens non eſt. Sic enim *Hieron. in cap. 11. Eſaiæ*, illud: *Habitabit lupus cum agno*: ſecundum *literam* falſum eſſe ait. *Literam Metaphoræ* aut *tropo* opponens. Et ipſe *Auguſt. Lib. III. de Doctr. Chriſt. c. 6.* dicit: *Cavendum eſt, ne figuratam locutionem ad literam accipias*. *Literam* ibidem itidem accipiens in oppoſitione ad *figuram*. Sed præſtat, utrumq;, tàm *Grammaticum*, quàm *Rhetoricum* SENSUM unâ definitione complecti; inprimis cùm iſta definitio aliàs quoq; conſiſtere non poſſit, ùt *tract. II. ſect. 1. Glaſſius* docet. Et dicitur SENSUS *Grammaticus* aliàs PROPRIUS: *Rhetoricus* autem *FIGURATUS*. Et PROPRIUS eſt, *qui oritur ex verbis in propriâ & nativâ ſignificatione acceptis*. FIGURATUS autem, qui oritur *ex verbis in impropriâ & figuratâ ſignificatione acceptis*.

VI. MYSTICUS ſecundùm *Bellarminum*, ſive SPIRITUALIS eſt, *qui aliò refertur, quàm ad id, quod verba immediatè ſignificant*. Secundum *Becanum* eſt, *qui non ſignificatur proximè per ipſa verba, ſed per rem ſignificatam ipſis verbis*. In cujus definitionis illuſtrationem adducit ex *Thomâ 1. p. q. 1. art. 10.* duplicem eſſe ſignificationem in Scripturâ sacrâ. Unam *verborum*, quæ pertineat ad *Senſum literalem*. Alteram *rerum*, quæ pertineat ad *Senſum myſticum*, ſeu *Spiritualem*. Quos etiam ſequitur l. cit. *GLASSIUS*: *Senſus Myſticus*, inquiens eſt, *qui non*

ſignificatur proximè per ipſa verba, ſed per rem ipſis verbis, ſignificatam. Sicut dictum illud *Jonæ 2. v. 1. myſticè* & *typicè* de ſe explicat ipſe CHRISTUS, *Matth.12.v.39.40.* Vel, ùt *Lib.II. part.1. Tract. II Sect. II.* loquitur: *Qui non verbis Scripturæ proximè ſignificatur, ſed in ipſis rebus à Spiritu Sancto, Scripturæ auctore intenditur, ſeu quod idem eſt, qui aliò ex intentione Spiritûs Sancti refertur, quàm ad id, quod verba immediatè ſignificant.* Vel ſecundum *Thomam, quem auctor non intendit*, aut *Salmeronem, quem non voluit primùm Spiritus Sanctus ſignificari.* Aut ſecundum *Chamierum, Tom.I. Panſtr. Cathol. Lib.II. cap.1. Senſus ſecundarius, diverſus à Literali, ſimilis tamen:* Unde & SENSUS LITERALIS prior eſt *Naturâ* & *Ordine:* Myſticus *Dignitate*, ùt ex exemplo, *Deut. 25. v. 4. Non alligabis os bovi trituranti*, collato cum *1.Cor.9.v.9. & 10.* patet.

VII. SUBDIVIDITUR Senſus MYSTICUS ſive *Spiritualis* à *Bellarmino l.cit.* in *ALLEGORICUM: TROPOLOGICUM*, quem Becanus vocat *MORALEM:* & *ANAGOGICUM.* A *GLASSIO* Sect.II. in *ALLEGORICUM; TYPICUM* & *PARABOLICUM. ALLEGORICUS*, ſecundùm *Bellarminum*, & recentiores Theologos, cum quibus ſe loqui dicit; eſt: *cùm verba Scripturæ præter literalem ſenſum, ſignificant aliquid in novo Teſtamento, quod ad CHTISTUM, vel Eccleſiam pertineat;* quomodo Abraham, qui reverà ad literam habuit duas uxores, unam liberam & unam ancillam, & duos filios, Iſaac & Iſmael, DEUM auctorem duorum Teſtamentorum, & Patrem duorum populorum ſignificavit, ùt Apoſtolus explicat, *Gal. 4.* Idem exemplum adducit *l. cit. Becanus*, & dicit: ALLEGORICUS eſt, *quando verba Scripturæ, præter ſenſum literalem, quem habent, ſignificant aliquid pertinens ad fidem, vel Eccleſiam militantem. Pl. Reverendus GLASSIUS* autem definit ita: *ALLEGORICUS eſt, quando hiſtoria Scripturæ verè geſta ad myſterium quoddam, ſive Spiritualem doctrinam, ex intentione Spiritûs Sancti re-*

cti re-

ſti refertur. TROPOLOGICUS aut MORALIS *Bellarmino* eſt, *cùm verba aut facta referuntur ad aliquid ſignificandum, quod pertineat ad mores.* Quomodo; *Non alligabis os bovi trituranti, Deut.25.* quod intelligitur ad literam de *veris bobus*, ſignificat *ſpiritualiter*, non debere prohiberi *concionatores*, quin victum accipiant à populo, *1. Cor. 9.* Idem exemplum iterum adducit compendiator Bellarmini, *Becanus*, cit. quæſt.3.§.5. & inquit: *MORALIS eſt, quando verba Scripturæ, præter ſenſum literalem ſignificant aliquid pertinens ad inſtructionem morum, vel officia charitatis.* ANAGOGICUS tandem *Bellarmino* eſt: *cùm verba aut facta referuntur ad ſignificandam vitam æternam.* Quomodo illud *Pſ.94. Quibus juravi in irâ meâ, ſi introibunt in requiem meam, quod ad literam intelligitur de terrâ promiſſionis, ſpiritualiter etiam refertur ad vitam æternam*, ùt Apoſtolus explicat. *Hebr.4.* Idem exemplum etiam hîc habet *Becanus*, & inquit: *ANAGOGICUS eſt, quando verba Scripturæ, præter ſenſum literalem, ſignificant aliquid pertinens ad vitam æternam vel Eccleſiam triumphantem, quam ſperamus.* TYPICUS *Glaſſio* eſt, quando *ſub externis factis, vel propheticis viſionibus res occultæ ſive præſentes, ſive futuræ figurantur, & præſertim quando res geſtæ V. T. præſignificant ſeu adumbrant res geſtas Novi Teſtamenti.* PARABOLICUS eſt, *quando res aliqua, ùt geſta narratur, & ad aliquid ſpirituale deſignandum refertur.*

VIII. Exemplum hujus *quadruplicis* Senſus Sacræ Scripturæ dicit *Becanus* §.6. eſſe vocem *Hieruſalem.* Nam *illa vox*, inquit, *ſignificat literaliter urbem Palæſtinæ; allegoricè Eccleſiam militantem; anagogicè Eccleſiam triumphantem; moraliter animam hominis in hac vitâ. Thomas* autem in *comment.Galat.4. lect.6.* hoc dat exemplum: *Per hoc, quod dico, Fiat Lux, ad literam de luce corporali, pertinet ad ſenſum literalem.* Si intelligatur, *fiat lux*, id eſt, *naſcatur CHRISTUS in Eccleſiâ*, pertinet ad Senſum *Allegoricum.* Si verò dicatur, *fiat lux*, id eſt, ut per

 CHRI-

CHRISTUM introducamur ad *gloriam*, pertinet ad *Senſum Anagogicum.* Si autem dicatur, *fiat lux*, id eſt, per CHRISTUM illuminemur in intellectu, & inflammemur in affectu, pertinet ad *SENSUM MORALEM.* Plura de his diviſionibus legi poſſunt apud *Sixt. Senenſem lib. 3. Bibliothecæ ſanctæ p. 158. & ſeqq.* & *Becanum Theol. Scholaſt. part. II. tom. 2. tract. 1. c. 3. q. 3.* Ut autem rectè ſcribit l. cit. *Bellarminus: Hæc diſtinctio Spiritualium SENSUUM à veteribus non ſemper obſervatur. Etſi enim agnoſcunt, quantum ad rem attinet, hos omnes SENSUS: tamen interdum omnes vocant ALLEGORIAS:* Ita quoq; rectiſſimè oſtendit *l. c. Sect. II. art. I. & S. ct. II.* GLASSIUS: Tropologicum, Anagogicum, ùt & TYPICUM & PARABOLICUM ſub *ALLEGORICO* contineri, tanquam *Species aliquas* ſub ſuo *genere*; qui videatur.

IX. Quibus ita expoſitis, nunc videamus: *Quæ porrò de SENSU LITERALI ſint obſervanda?* Notamus itaq & cum Theologis noſtris aſſerimus I. *Quòd unius loci Sacræ Scripturæ, non detur, niſi unicus SENSUS LITERALIS:* quod ipſum probamus 1. Ex Scripturæ *certitudine, 2. Petr. 1. v. 19.* quæ cum varietate & multitudine literalium SENSUUM conſiſtere nequit. II. Ex Scripturæ *Perſpicuitate*, quæ itidem varios & plures ſenſus literales non admittit. III. Ex *fine* Scripturæ, qui eſt: *ſapientes nos reddere ad ſalutem, Joh. 5. v. 39. cap. 20. v. 31. 2. Tim. 3. v. 15. 16. & 17.* Quod certè per id, quod eſt in ſe ambiguum, & plures habet SENSUS LITERALES fieri non poteſt. IV. Ex SENSUS & ſignificationis *naturâ.* Quoniam enim SENSUS LITERALIS eſt dictorum, SACRÆ SCRIPTURÆ, quaſi forma. Ideò non poteſt eſſe niſi unicus. Quæ argumenta etiam B. GERHARDI ſunt, in *Confeſſ. Cathol. Lib. II. Artic. I. cap. III. p. 234.* & GLASSII p. 377. qui tamen & *QUINTUM* fundamentum addit, nempe *Veritatis Unitatem, Pſ. 119. v. 142. Joh. 17. v. 17.* Errare igitur dicimus Pontificios, qui *plures SENSUS LITERALES in*

uno

uno loco Scripturæ Sacræ dari dicunt. Nam ita cit. *Lib. III. de V. D. c. III. §. Ex his:* ſcribit Bellarminus: *Ex his ſenſibus LITERALIS invenitur in omni ſententiâ tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti. Nec eſt improbabile, interdum plures LITERALES, in eâdem ſententiâ reperiri, ut B. Auguſtinus docet multis in locis, & præſertim lib. 12. Confeſſ. cap. 26. Lib. 11. de Civitate DEI cap. 19. & Lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 27.* Verba apud Auguſtinum, *Lib. 12. Confeſſ. c. 31.* hæc ſunt: *Cùm alius dixerit; hoc ſenſit Moſes, quod ego; & alius, imò illud, quod ego; religioſiùs me arbitror dicere, cur non utrumq; potius, ſi utrumq; verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum; & ſi quid omninò aliud verum quiſpiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur is, per quem unus DEUS, veris & diverſa viſuris, ſacras literas multorum ſenſibus temperavit.* Quæ certè non poſſumus non improbare. Sic *Salmeron Tom. XV. pag. 43. Diſp. 2. in 1. Timoth. 1. §. Idem:* dicit: *Regula eſt, Scripturarum ſententias non unum tantùm ſenſum literalem poſſe recipere, ſed plures.* Item *Azorius*, tom. 1. Lib. 8. Inſtit. moral. cap. 2. §. 11. *Hæc eſt communis Theologorum opinio, ejusdem literæ poſſe eſſe plures SENSUS LITERALES.* Plura teſtimonia videantur apud *Gerbardum* l. cit. p. 234.

X. Verùm nón omnes Pontificii ita docent: Sed à noſtrâ ſententiâ ſtant quidam tàm ex *Scholaſticis*, ùt *Albertus*, *Alenſis*, *Henricus*: quàm ex recentioribus, ùt *Medina*, *Ribera*, *Acoſta*, & alii, uti *ibid.* demonſtrat *Gerbardus*. Unde & hanc ſuorum diſcordiam agnovit & confeſſus eſt *Tannerus, tom. I. Theol. Schol: Diſp. 1. q. 5. dub. 2. num. 7.* Et *Bonfrerius in Pentateuchum, Prolegom. p. 70.* Quin idem nobiſcum, quamvis obliquè & timidiuſculè ſtatuere *Becanum*, ex *parte II. Theologiæ Scholaſt. Tom. II. tract. 1. c. 3. q. 5.* apparet. Scribit enim, poſtquam ſatis modeſtè dixiſſet; *Poteſt DEUS etiam unico verbo ſcripto multa ſignificare:* Item: *Videri ineſſe plures SENSUS: Putari locum habere duplicem SENSUM. Sed ne erremus, aliqua notanda*

 ſunt:

ſunt: Primò, hactenus ab Eccleſiâ non eſſe definitum, plures eſſe SENSUS LITERALES ſub eadem literâ. *Secundò;* Multa eſſe Scripturæ teſtimonia, quæ antiqui Patres variè interpretantur, ſecundûm literam, ſed inde non ſequitur, plures eſſe ſenſus literales in illis teſtimoniis. Nam ſæpè fit, ut plures illi ſenſus, qui à variis aſſignantur, inter ſe pugnent. Fieri autem non poteſt, *ut hæc pugna à Spiritu Sancto ſit.* Hæc ingenuè *Becanus:* Quæ ſimul confirmant ea, quæ *Diſp. præced.* de *conſenſu Patrum* diximus. Plura verò apud eundem ibi legi poſſunt. Unde & p.377. rectè colligit *Glaſſius: Eum dubitaſſe de illâ communi ſententiâ aliorum Pontificiorum, an vera ſit?*

XI. Pro ſolutione contrariorum argumentorum, quæ longo ordine legi poſſunt apud *Gerhardum* Lib. II. Catholicæ Confeſſ. à p.238. uſq; 242. & in *Philologiâ Sacrâ* Doctoris GLASSII à p. 382. uſq; ad 383. notari poteſt I. Poſſe quidem ex uno ſenſu Literali varias inſtitui collectiones, & varias accommodationes fieri: interim manet unus unius loci ſenſus literalis. II. In quibusdam locis Scripturæ continetur duplex SENSUS; *Literalis* & *Myſticus:* ſed non datur unius loci duplex SENSUS LITERALIS. III. Aliud eſt: SENSUM aliquem eſſe *verum*, id eſt, nihil continere *falſi* aut *impii.* Ut ſi dicam, cum Auguſtino: *In principio, i. e. in Filio, ſapientiâ ſuâ æternâ* creavit DEUS cœlum & terram. Quod certè; nempe DEUM creaſſe omnia per Filium, veriſſimum eſt, & legitur *Job.1.v.3.* Aliud autem eſt: SENSUM aliquem eſſe *verum illius loci SENSUM:* Sicut verus SENSUS illius loci, *Geneſ.1.v.1.* ſine omni dubio eſt: *in initio temporis.* IV. Aliud eſt, *vocem* aliquam in ſe ſpectatam eſſe *ambiguam;* & ita voces quasdam in Sacrâ Scripturâ poſitas, *ambiguitatem* continere, & *æquivocas* eſſe, non imus inficias: Aliud autem eſt, *vocem aliquam* conſideratam in ordine ad integram phraſin, & ad integrum contextum, vel Analogiam fidei: eſſe *ambiguam* aut *ambiguè poſitam.*

Poteſt

Poteſt enim *vox* aliqua eſſe in ſe *ambigua*, ut tamen non ſit *ambiguè poſita:* quoniam ex contextu ſignificatio ejus claret. Hinc *Melchior Canus, lib. 3. Locorum, cap. 2.* rectè dicit, *eſſe nonnulla Scripturarum loca, quæ in alium atq; alium ſenſum trahi ne à contentioſisſimis quidem poſſint.* Vide plura apud celeberrimos illos Theologos, locis citatis.

XII. Notamus II. *Quòd ex* SOLO SENSU LITERALI *deſumantur argumenta efficacia.* Et hæc aſſertio ipſorum Pontificiorum eſt. Nam ita *Bellarminus* loc. cit. §. *Sed quanquam: Convenit inter nos & adverſarios, ex ſolo ſenſu literali peti debere argumenta efficacia.* Item *Sixtus Senenſis lib. 3. Bibliothec. Sanctæ p. 141. Sola literalis expoſitio ad veritatem fulciendam, & falſitatem deſtruendam valida eſt.* Et ante utrumq; *Thomas part. I. quæſt. 1. artic. 10. Solus* SENSUS LITERALIS *eſt argumentativus.* Ubi tamen obſervandum eſt, quòd SENSUS LITERALIS hic ita accipiatur, ut *SENSUM MYSTICUM*, in ipſis Scripturis monſtratum & expoſitum, ſimul includat. Unde & Canonem ita informat p. 398. *Glaſſius: Senſus literalis præcipuè eſt argumentativus, non tamen excluſo myſtico.* Et B. *Gerhardus* inquit l. cit. p. 242. *Non negamus, ex ſenſu myſtico innato, & ab ipſo Spiritu Sancto in Scripturis monſtrato, argumēta duci poſſe, ſed ex myſticis ſenſibus in Scripturam illatis argumenta duci poſſe, negamus.* Hinc rectiſſimè ipſe *Bellarminus*, lib. 2. de gratiâ & libero arbitrio, cap. 10. §. 13. *Quamvis ex myſtico* SENSU *non ſoleat fieri ſolidum argumentum ad probanda fidei dogmata: tamē cùm myſticus* SENSUS *in ipsâ Scripturâ exponitur, ſolidiſſimum argumentum conficitur, illa enim expoſitio myſtici* SENSUS *Scripturæ Veteris Teſtamenti, non eſt myſtica, ſed literalis ſententia Scripturæ.* Sic etiam *SENSUS TROPICUS* vel *FIGURATUS* eſt argumentativus, ſi verè explicatus eſt & applicatus; quia eſt *Senſus Literalis.*

XIII. III. *In* FIDEI *articulis etiam conſequentias ex* SENSU LITERALI *deductas, eſſe admittendas.* Videlicet ſi ſint *conſequen-*

quentiæ legitima ac neceſſaria. Temerarias autẽ & ludicras, meritò repudiamus. Hinc ita pro noſtrâ ſententiâ *lib. 5. de Theologiâ* ſcribit *Nazianzenus*: *Quæ colliguntur ex Scripturis, perinde ſunt habenda, ac ſi in illis ſcripta eſſent.* Item: *Quædam in Scripturis ſunt, licèt in illis non dicantur*: Videlicet quæ inſunt κατὰ διάνοιαν, & per juſtam & legitimam conſequentiam. Et hæc ſententia noſtra probatur ex *ſcrutinio Scripturarum*, quod imperatum eſt, *Job. 5. v. 39.* & ex eo, quod qui *antecedens* dicit, neceſſariò etiam dicat *conſequens*; & aliis fundamentis quibus hîc ſuperſedemus! *Egregia* itaq; *ARS* eſt, *ARS* illa *nova* Cardinalis *Perronii*, & *Jeſuitarum* quorundam in Galliâ, *Gonterii* nempe, *Arnoldi* & *Veronii*, qui poſtularunt à Proteſtantibus, ut totidem verbis in Scripturâ ſuam doctrinam exſtare probarent. Ut & *Adverſariorum in Colloquio Durlacenſi*, exigentium, ut *Propoſitiones negativæ* in ipſis formalibus, vel terminis terminantibus ex Scripturâ demonſtrarentur, e.g. *Non eſſe Purgatorium*; *Non eſſe invocandos Sanctos*, ùt docet *Gerhardus*, *Part. II. Confeſſ. Cath. artic. I. cap. III.* Nam quærimus ex eis cum *Salmerone* Comment. in 1. Timoth. 2. Diſp. 7. §. 4. *Nonne CHRISTUS Matth. 22. ex collectione Scripturarum reſurrectionem probavit?* Et amplectimur, quod *Bellarminus* lib. 4. de V. D. cap. 9. §. 2. ſcripſit: *Nihil eſt de fide, niſi quod DEUS per Apoſtolos, aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur.* Et dicimus: In REBUS Theologicis diligenter videndum eſſe: cujus Partis ſit *Affirmativa*, & cujus ſit *Negativa.* Nam *Affirmanti* incumbit probatio. *Negans* autem ſi aliquid probat, facit id ex abundanti, & ùt *docens*; ſicuti conſtat. Quod igitur Noſtrates in ſuis Scriptis etiam ſuam Negativam probant: non fit quaſi iniquo illi poſtulato & *novæ* Jeſuitarum ARTI colla ſua velint ſubmittere: Sed ex *abundanti*, & quia ſimul Auditores & Lectores ſuos *docere* volunt. In ipsâ autem Diſputatione hoc facere non tenentur: ſed pro-

probatio incumbit Jeſuitis & aliis adverſariis, qui ſuas Affirmativas ſine Scripturâ prolatas nobis volunt obtrudere.

XIV. Mysticum Sensum, quod tandem concernit vel *Allegoricum*, *generaliter* ſumto vocabulo; eſt ille vel *Innatus*, qui in Sacrâ Scripturâ expreſsè traditur: Vel *Illatus*, quem ipſa Scriptura non oſtendit, ſed qui ab Interpretibus infertur. Circa quem tamen ſpectanda eſt: *Raritas*, *Concinnitas*, *Utilitas*. Videndi, *Flacius* part. 2. Clav. tract. 1. cap. 79. & *Gerhardus*, de Interpret. Script. §. 139. & ſeqq. Qui idem *Illatus*; eſt vel *Oblatus*, qui probabile fundamentum habet in ſenſu literali: vel *Extortus*, qui probabile fundamentum in ſenſu literali non habet. Quò referimus abſurdiſſimas expoſitiones *Weigelii* & *Paracelſiſtarum*: De quibus ita plur. Reverenda *Facultas Theologica Wittebergenſis in præfat. Locorum majorum Hütteri: Scriptura Weigelio, niſi per Allegorias pro arbitrio confictas, à vero ſenſu miſerè ceu collo obtorto ad inania ſpeculationum deliria detorqueas, vilis eſt litera, inanis & efficax ſonus.* Et ineptas *Allegorias* & expoſitiones *Pontificiorum*. Quorum longum catalogum lege apud *Gerhard. Tom. I. Confeſſ. Cathol. p. 316. & ſeqq. & Glaſſium p. 424.*

XV. Improbavit autem pruritum illum *allegorizandi*, & quidvis ex quolibet colligendi, ipſe *Cornelius à Lapide*, nobilis Scriptor Pontificius, in *Proœmio* ſuper Prophetas minores *p. 7.* ita ſcribens: *Porrò cavendi hîc moderni nonnulli, præſertim concionatores, qui à Prophetis & Patrib⁹ degeneres, novum concionandi, novum Prophetas explicandi modum commenti ſunt. Ut enim apud populum plauſum inveniant, verba Sacræ Scripturæ ad miros ſuos conceptus, ſibi ut videtur, ingenioſos, & elegantes, violenter inflectunt & trahunt. Quapropter nec ſenſum literalem Sacræ Scripturæ & Prophetarum, nec myſticum, qui, literali, quaſi baſi & fundamento inſiſtere, ipſiq; appoſitè ex æquo reſpondere debet, ſed ingenii ſui ſpeculationes parergas pro Verbo DEI proponunt, imò ſupponunt. Hi enim non DEI, ſed ſua ſenſa populo pro*

 divi-

divinis venditant, ipſamq́; Sacram Scripturam in alienas, imò in ipſi contrarias ſubinde expoſitiones detorquent, ac proinde eam temerant, illiq́; violentas manus inferunt. Quæ ſanè audax & gravis in DEUM, ejusq́; Sacras literas eſt irreverentia, & injuria, grave probrum, & penè ſacrilegium. Eſt enim ingens ſacrarum literarum, abuſus & profanatio. Hæc omnia rectiſſimè *Cornelius*. Et addit ibidem exemplum: *Exſtat liber concionum*, ſcribit p. 8. lit. B. *qui aſſerit Davidem uxoriâ difficultate afflictum, utpote re in hac vitâ moleſtiſſimâ, quotidiè pro eâ, proq́; uxore oraſſe.* Probat id ex verbis *Pſalmi 37.* (In Ebræo eſt: *Pſ. 38. v. 20.*) DEUS in Adjutorium meum intende. *Id eſt*, inquit, *DEUS in Uxorem meam intende; fac eam facilem & morigeram. Uxor enim vocatur adjutorium viri, quod patet, Geneſ. 2. v. 18.* Faciamus ei adjutorium, ſimile ſibi. *Et alterum audivi*, ſubdit ibidem Cornelius, *qui docebat Sacram Scripturam aſſerere, Moſen mortuum eſſe in oſculo Domini: quia nimirum Deut. 34. v. 5. Moſes dicatur* mortuus ſuper os DOMINI. *Ergo*, inquit, *in oſculo DOMINI. At quis neſcit, os DOMINI in Scriptura ſignificare dictum, juſſum, præceptum* DOMINI. Meritò ergo ejusmodi ineptiæ & errores repudiantur. Quæ tamen non apud ſolos concionatores, quos potisſimùm accuſabat Cornelius, ſed etiam apud ſummæ auctoritatis VIROS inter Pontificios reperiuntur. Nam ſolenniſſimam illam Prophetiam, de regno Meſſiæ loquentem, *Pſ. LXXII. v. 11. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei: Antonius Puccius* aſſeruit in Concilio Lateranenſi; impletam eſſe in *Papa LEONE DECIMO*. Prophetiam de *Lapide angulari, Eſa. 28. v. 16.* itidem ad *Pontificem Romanum* accommodat *Bellarminus. Tom. I.* in *præfat. controv. III. Generalis.* Poſtquam enim dixiſſet: *De quâ re agitur, cùm de Primatu Pontificis agitur? breviſſimè dicam, de ſummâ rei Chriſtianæ. Id enim quæritur, debeatnè Eccleſia diutius conſiſtere, an verò diſſolvi & concidere.* Et paullò poſt: *Nulli fuerunt unquam*

hoſtes

hoſtes CHRISTI *atq; Eccleſiæ, qui ſimul cum hac ſede bellum non geſſerint!* Subjicit: *Quæ duo mihi Eſaias Propheta longè antè providiſſe, ac prædixiſſe videtur. Rei quidem magnitudinem & utilitatem, cùm ait: Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, precioſum, in fundamento fundatum. Harum autem vero contentionem & impetum, cùm hunc ipſum Lapidem: Lapidem offenſionis, & petram ſcandali eſſe dicit.* Quoniam tamen ipſimet *Bellarmino* hoc durum nonnihil fuit viſum, ideò in ſequentibus addidit: *Quanquam hæc verba in* CHRISTUM *præcipuè convenire non ignoramus, eadem tamen non ineptè in* CHRISTI *vicarium quadrare cenſemus.* Sed ineptiſſimũ eſt; homini tribuere, quod ſoli competit CHRISTO. Sic etiam famoſisſimus iſte Cardinalis *Baronius* in *præfat. Tomi octavi* Annalium ad Clementem VIII. iſtud Pauli, *2.Cor.10.v.6. In promtu habentes vindictam adverſus omnem inobedientiam;* quod de *armis Spiritualibus doctrinæ cœleſtis, & juſta coërcitione Eccleſiaſticâ* agit, accommodat ad *expeditionem illam, quam Clemens Octavus ſuſceperat occupandæ Ferrariæ causâ.* Dicit enim: *Bellum iſtud ſanctificatum, ſacerdotalibusq; tubis indictum eſt, cùm in ſacro illo Quirinali Patrum conſeſſu, quot ſunt ea de re dictæ ſententiæ, tot auditæ ſunt tubæ, imò tonitrûs, atq; vibrata cœlitus fulmina, in promtu omnes habentes* (quod monet Apoſtolus) *omnem ulciſci inobedientiam.* Et ſeq. pag. *Accidit, quaſi miraculum à* DEO *(his libenter utar divinæ Scripturæ verbis) ut Ferraria, ferrea planè civitas, ſine ferro fuerit expugnata, ipſo totum hoc agente, qui dixit: Ego ante te ibo, glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, vectes ferreos confringam. Ut planè idẽ, qui Petro aperuit portam ferream, Ferrariæ portam Petri patefecerit ſucceſſori.* Hæc admodum ineptè famoſus iſte Cardinalis Baronius.

XVI. Tenenda eſt ergo firmiſſimè REGULA: *Ne per Alle-*

Allegorias quicquam exponamus aut proponamus, quod non aliunde confirmari poſſit: id eſt, ex aliis perſpicuis Scripturæ locis demonſtrari. Veriſſimè enim *Auguſtinus*, ad Vincentium, Epiſtolâ 48. *Quis non impudentiſſimè nitatur, aliquid in allegoriâ poſitum pro ſe interpretari: niſi habeat & manifeſta teſtimonia, quorum luce illuſtrentur obſcura!* ut etiam hoc benè oſtendit *Chamier, Tom. I. Panſtrat. Cathol. lib. 15. cap. 1.* Sic enim *Origenes* non ſolùm ideò audiit malè, quòd nonnihil duriùs ἐπινενοηκέναι ἑαυτῷ κατὰ τὸ σωμάτιον, ùt loquitur *Epiphanius*: cùm nimis ad literam illud legiſſet de iis, *qui caſtrarunt ſe propter regnum cælorum*: Sed longè magis propter *Allegorias*. Nam; Ἀλληγορεῖ ὅσαπερ δύναται: *Allegoricè explicat, quicquid poteſt*, inquit de eo *Epiphanius*. Unde *Idem* contra pruritum allegorizandi hanc regulam tradidit in Apoſtolicis: Πάντα τὰ θεῖα ῥήματα ἐκ ἀλληγορίας δεῖται. *Non omnia divina dicta allegoriâ indigent: verùm ut poſita ſunt.* Et *Baſilius*, Homil. 9. in Hexaëmeron, τὰς ἀλληγορεμανοῦντας iis *comparat, qui ſomnia interpretantur.* Nam, ut loquitur: μὴ καταδεχόμενοι τὰς κοινὰς τῶν γεγραμμένων ἐννοίας, ἀλλὰ τὰς οἰκείας ὑπονοίας, παρατρέψαντες ἐξηγοῦνται, ὥσπερ ἐνειροκρίται τῶν φανέντων ἐν ταῖς καθ᾽ ὕπνον φαντασίαις πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν τὰς ἐξηγήσεις ποιούμενοι. Quales phantaſiæ & ſomniorum Interpretationes plurimæ etiam inveniuntur in *Expoſitione Morali* apud Lyram, & *Spirituali*, apud *Dionyſium Carthuſianum*. Rectiſſimè igitur de ejusmodi *contortis Allegoriis* ſcripſit B. noſter *Lutherus*. comment in Geneſin, ad c. 32. p. 153. f. B. *In ſacris literis non ſunt quærendæ nudæ allegoriæ. Niſi enim habeant hiſtoriam, & certam rem pro fundamento, nihil aliud ſunt, quàm fabulæ Æſopicæ. Deinde etiam ſi hiſtoriam habemus: tamen non eſt omnium, formare inde Allegorias; Ideò ante omnia eruendus eſt hiſtoricus ſenſus, is docet, conſolatur, confirmat. Poſtea Allegoria ornat & illuſtrat tanquam teſtu. Hiſtoria vero eſt quaſi auctor, ſive caput & fundamentum rei.* SENSUS ergo MYSTICUS, aut INNATUS eſſe debet, aut OBLATUS: CONTORTUS autem & INEPTUS rejicitur, ac locum habere non poteſt.

FINIS.

c9 961926